


**Disputatio Philologico-Theologica Secunda, Sive Animadversiones Philologico-Theologicae Continuatae, in quibus Angelos Hominesq[ue] impios infernis suppliciis nunquam liberatum iri : evidentissimis S. Scripturae testimoniis demonstratur**

Francofurti ad Viadrum: Typis Joh. Christoph. Schwartzii, [1721?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862089689>

Druck Freier  Zugang





53

Fa-1092(53)

DISPUTATIO PHILOLOGICO - THEOLOGICA  
SECUNDA,

Sive

ANIMADVERSIONES  
PHILOLOGICO - THEO-  
LOGICAE CONTINUATAE,

in quibus

Angelos Hominesq; impios infernis suppliciis nunquam  
liberatum iri, evidentissimis S. Scripturae testimoniis  
demonstratur,

Quam

ADJUVANTE DEI GRATIA

In Alma Viadrina

PRAESIDE

*MAXIME REVERENDO atq; DOCTISSIMO*

DN. DIETERICO SIEGFR.  
CLAESSENIO,

S. Theol. D. & Prof. Publ. Ordin. atque Ecclesiae  
Reform. ibidem Pastore Facundissimo, Fructuosissimo,

*Patrono & Praeceptore suo, ut & Ephoro nunquam satis honorabili,*  
Publice ventilandam

IN AUDITORIO MAJORI

*Anno M DCC XXI. d. XXIII. Decembr.*

placido Eruditorum Examine

submittit


JOHANNES DESÖ KRIZBAINUS,

Transylvano - Hungarus.

25.

FRANCOFURTI ad VIADRUM,

Typis JOH. CHRISTOPH. SCHWARTZII, Acad. Reg. Typogr.



# VIRIS.

*Perennaturi. Nominis. Christianarum. Virtutum. Genuinis. Haeredibus.  
Luminum. Luminibus. & Columinibus. Patriae. Patribus. nec. non. caelestis.  
quasi. Cynosurae. radiantibus. in. Ecclesia. & Republ. Phosphoris.  
REVERENDISSIMO. ILLUSTRISSIMO.  
atque. EXCELLENTISSIMO.*

DOMINO.  
MARQUARDO.  
LUDOVICO.

LIBERO. BARONI.

de. PRINTZEN.  
AUGUSTI. PRUSSORUM. REGIS.

Supremo. Aulae. Mareschallo.

Ministro. Status. Intimo.

Ordinis. Prusfici. Equiti.

Regiae. Arcis. Praefecto.

Consistorii. Feudalium. & Ecclesiasticarum.

Rerum. Regiaeque. Scientiarum. Societatis.

Praefidi. & Directori.

nec. non.

Regiarum. Academiarum. omnium.

Curatori. Supremo.

Comitatus. Rupinensis. Agrique.

Bellinensis. Satrapae.

Ecclesiae. Cathedralis. Magdeburgensis. Canonico.

Domino. Hereditario. in. Caro.

itemque. Reliqua.

Domino. ac. Maecenati. benignissimo,

ut. &

*GENEROSO. AMPLISSIMO.*  
*atque. CONSULTISSIMO.*  
**DNO. WILHELMO.**  
**DUHRAM.**

Intimo. τὸ Δικαστηρίῳ. & Superiorum. Appella-  
tionum. Buleutae. Aulae. ac. Judicialis. Camerae. nec.  
non. Senatus. Ecclesiastici. Confiliario. Fiscali. Ge-  
nerali. Regio. Fiscique. Advocato.

*MAXIME. itemque. REVERENDO. CLARISSIMO.*  
*DOCTISSIMOque.*

**DNO. DANIELI. ERNE-**  
**STO. JABLONSKI.**

S. S. Theol. D. Regiae. Majestatis. Conciona-  
tori. Aulico. Primo. Regii. Consistorii. Assessori. Eccle-  
siarumque. Reformatarum. per. Poloniam. Seniori.  
Summe. Venerabili. Societatis. Regiae Scientiarum.  
Membro. Dignissimo.

Patronis. ac. Studiorum. Suorum. Promotoribus.  
aeternum. colendis.

Hoc. Specimen. Academicum.

D. D. D.

**JOHANNES. DESÖ. KRIZBAINUS.**



Animadversionum Philologico-  
Theologicarum

CAPUT II.

Quod

*Erroneam de futura Angelorum Hominumq;  
damnatorum Salute Sententiam refellit, orthodoxam  
vero S. Scripturae testimoniis evincit,  
atq; confirmat.*

SECTIO II.

§. I.



Rogressuri in *Animadversionibus* no-  
stris adversus *Origenistas*, quibus An-  
gelos Hominesque impios infernis suppliciis  
nunquam liberatum iri, evidentissimis S.  
Scripturae testimoniis demonstrare ocepi-  
mus, operae pretium facturi fu-  
mus, si carptim & κατὰ κεφάλαια  
repetamus ac remetiamur, quae  
fufius atque exquisitius de isthoc argumento à nobis  
jam sunt proposita. Et primo quidem ipsa incunabu-  
la, ipsamque erroris, quem refutatam imus, *originem*  
investigavimus, *progressum* quoque foedissimi illius mon-  
stri indicavimus: Deinde vero ex S. Literis evicimus:  
*Posito peccatore, aeterna & finienda nunquam supplicia absolu-  
te esse necessaria.* Quod ipsum ut tanto evidentius in o-

A 2

mnium

mnium oculos incurreret, *Naturam* atque indolem *Peccati*, & περὶ τῆς ὀνοματολογίας, & περὶ τῆς πραγματολογίας, paulo accuratius consideravimus, & necessum plane esse dimimus, ut *Deus* peccata poenis atque suppliciis afficiat, cum id ipsum postulet & *Dei Justitia*, & *Dei Sanctitas*. Quod quidem argumentum ita pertractavimus, ut non modo ad dissentientium ratiunculas disertissime planissimeque à nobis responsum, sed subinde etiam probatum sit: *Justitiam Dei punitivam* requirere, ut peccata aeternis, & nulla unquam aeternitate finiendis afficiantur suppliciis. Frustra enim Adversarios nobis obgannire: nullam esse ἀναλογία, comparationem, proportionemve inter peccatum & peccati poenam: peccatum quippe esse aliquid finitum, poenam ergo peccati infinitam statui neutiquam posse; cum re tamen verà peccato insit aliquid infinitatis & ἀπειρίας, quia committitur adversus Infinitam Infiniti Numinis Majestatem, quam debellare audet, & si modo posset, penitus destruere vellet Peccator. Origenistas denique perperam ac nequiter ad immensam *Dei Misericordiam* provocare, & in ea sibi ac causae suae desperatae aliquid praesidii frustra quaerere, paulo uberius atque explicatius disseruimus. Tandem vero *Origenistis* disertissima *Dei effata* atque oracula opposuimus, quae sub tacita poenitentiae, fidei & conversionis conditione neutiquam intelligenda, sed absoluta potius esse diximus. Omnem quoque poenitentiam, fidem, & conversionem, quae quidem Deo placere possit, in *Merito Christi* fundatam esse debere, neque ullum poenitentiae, fidei, ac conversioni in futuro demum, sed in praesenti duntaxat seculo, locum esse, liquide fatis demonstravimus. Et postremo contra *Origenistas* ursumus: si comminationes Peccato simpliciter essent factae sub conditione poenitentiae, fidei, ac conversionis, Satisfactionem Christi minus fuisse necessariam, quam absolute tamen necessariam fuisse, mox liquide fatis patebit. Et huic quidem argumento, sicuti promissimus, paulo prolixius jam immorabimur, ut fidem nostram publice datam publice etiam liberemus.

§. II.

## S. II.

Quemadmodum ergo, Posito Peccatore, aeterna & finienda nunquam supplicia absolute esse necessaria, satis superque demonstravimus; ita vero nobis etiam nunc demonstrandum est, aeternam Satisfactionem absolute fuisse necessariam, ut aeterna tollerentur supplicia; qualem aeternam Satisfactionem Deo Judici, sive Justitiae divinae Vindictae nemmo utique praestare poterat, nisi solus ille, qui est Θεός. Neque enim peccatum, quo aeterna Dei Majestas laesa erat, sine aeterna Satisfactione expiari, neque Deus per ἀμνησίαν quandam peccatoribus reconciliari poterat; quoniam Deus in isthoc negotio considerari debet ut justissimus Judex. Ad Judicis vero officium, sicubi illo rite voverit fungi, vel id inprimis requiritur, ut Suum Cuique tribuat, ut fontes condemnet ac puniat; infontes è contrario absolvat & suppliciis eripiat. Quod si Judex alterutrum frivole neglexerit, abominationi esse dicitur Joh. vae, Prov. XVII. 15. Deus ergo, cum sit καὶ ἕξοχὴν Judex, & quidem Judex Supremus, Justissimus, atque Oecumenicus, necessario vel condemnat ac punit, vel absolvit & supplicis liberat: hinc Deo in S. Literis non modo Πῶς δικάσειν, verum etiam condemnare ac punire, diserte satis tribuitur. Etenim εἰς ἐστὶν ὁ νομοθέτης ὁ δυνάμενος σώσαι καὶ ἀπολέσαι, Job. IV. 12. Quod si ergo concesseris, Deum esse Judicem, necesse etiam est, ut concedas, Deum non modo, per fictam aliquam in Socinianorum, ac novellorum Originistarum cerebro ἀμνησίαν, ne hilum quidem de Justitia sua Vindice remittere, sed peccatorem quoque aeterno supplicio bene merito, absque aeterna Satisfactione, eximere neutiquam posse; num quid enim Judex totius terrae non exerceret jus? Genes. XVIII. 25. Numquid χωρὶς ἀναιτεχνυσίας γίνεται ἀφεσις? Hebr. IX. 22. Quod ipsum probe animadverterunt quotquot emunctae naris inter Paganos erant; qui idcirco non modo brutorum, verum etiam hominum subinde sanguinem Diis suis immolare confveverant,

rant; ad expianda quippe hominum peccata humano itemque opus esse sanguine, neque Diis immortalibus alia ratione satisfieri, neque Deos hominibus, sine cruentissimo isthoc humani sanguinis spectaculo, placari posse existimabant. Hinc *1. Reg. XVIII.* legimus, *Sacerdotes Baalis*, postquam satis diu, veluti *Corybantes*, *Sallii*, ac *Luperci*, turpissimi Idoli sui altare frustra transfilerant, & postquam *Elias* amaro quodam scommate illos subfannaverat, ac dixerat: necessum esse, ut voce sua, quam maxime possent, contenderent, quò Deum suum dormientem excitarent, aut tardantem acuerent, aut aliis distractum curis ad opus & Sacrificium suum revocarent, mox alias adhibuisse artes ac machinas, quibus Idolum suum flectere voluerunt. Incidebant quippe semet ipsos, juxta ritum suum, cultris & spiculis, usque adeo, ut perfunderentur sanguine; atque ita non alieno amplius, sed suo jam sanguine Baali litabant: existimabant certe isti pro more suo infulati Sacerdotes, rubentes ac stillantes proprio sanguine, rugientes ad Deum inanimatum & furdum, fore nihilo tamen minus, ut à rudi filice, sive etiam à sylvestri stipite tandem aliquando exaudiantur. Et sane, Daemones quoque humano sanguine delectari, & humanas sibi exigere victimas, testantur omnino inter Paganos passim obvia & rubentia ubique humano sanguine altaria, & probant inprimis belluina illa *Dianae Tauricae* sacra, quae videri possunt apud *Alexand. Lib. VI. Genial. cap. 26.* & apud *Lactant. Lib. I. de Falsa Relig. c. 21.* Conf. etiam *Prudentius in Hymno de S. Romano.* Ex quibus omnibus evidentissime patet, Gentiles non modo ultriorem Dei Justitiam agnovisse, sed Satisfactionem subinde etiam, ad expianda hominum crimina, & ad averruncandas itemque meritas istis criminibus poenas, plane esse necessariam, haud obscure his quidem ritibus suis significare voluisse. Placuit enim averruncandae Deum irae victimas caedi: vid. *Livius Lib. VIII. c. 6. & Lib. X. 23.*

§. III.

§. III.

Fateor equidem, quod adversarii etiam obijcere solent, ipsum quippe *Satisfactionis* vocabulum esse ἀγεια φων, & totidem literis ac syllabis in S. Scriptura nequam occurrere; sed nostrâ nihil refert, sufficit, rem ipsam nihilo tamen minus aliis subinde verbis in S. Codice disertissime ac planissime expressam esse. Quin immo exstantiora etiam & multo significantiora, præ illo *Satisfactionis* vocabulo, tam *Hebraea*, quam *Græca* in S. Literis reperiuntur *Nomina*, quæ rem plane eandem multo evidentius declarant. Etenim, valde emphatica illa *Hebraeorum* esse nomina, כפר & פרה nemo facile inficias ibit, nisi forte is, qui μειώσεις & extenuationes in verbi divini interpretatione turpiter amaverit. Verbum quippe פרה proprie significat *liberare, redimere*, & supponit ejusmodi *Liberationem, quæ fit intercedente pretio*; & verbum כפר proprie denotat *reſtorium inducere, bituminare, sive argilla, bitumine pice, cemento, aut alia quacunque re glutinosa oblinire, sic, ut aliquid penitus obliteretur & abscondatur; improprie autem ac metaphorice, & ita quidem multò frequentius, כפר in S. Literis notat expiare, iniquitatem & peccatum remove, sordes occultare, illas quippe auferendo & abstergendo. Quemadmodum enim reſtorio vetus rei facies mutatur in aliam, ita etiam Reus, expiatione factâ, in Justum mutatur, culpâ ejus veluti obliteratâ: Hinc *Jes. I. 18.* dicit Jehovah: *Si fuerint peccata vestra velut dibapha, tanquam nix exalbescunt, si rubra fuerint velut coccineum, similia lanae erunt, conf. Doctiss. Vitringa ad h. l.* Hinc כפר est obliterare & abolere aliâ re super inductâ, *Jes. XXV. 11.* & כפר dicitur pretium, quod intervenit ad culpam obliterandam, & quidquid deditur pro altero, ut is noxæ eximatur, sive, quo depenso, secundum aestimationem ejus, cujus interest, liber fit, qui erat reus & obnoxius; hujus autem pretii persolutio ecquid aliud est, quam *Satisfactio*? Sic etiam פרה Redemptionem notat ex peccati reatu per justificationem, ex peccati dominio per sanctificationem, ex peccati denique poenâ & omni contaminatione per glorificationem*

nem. Et illa utique Redemptio provenit ex lytri persolutione; ubi enim est lytrum, ibi quoque est Redemptio. Quemadmodum vero alii erubescunt sine Lege, ita & nos multo plus erubescimus sine Scriptura loqui; sed Scripturae testimonia nos minime destituunt. Etenim ambae illae voces כפר & פדה passim quidem & sparsim in S. Literis id significant, quod significare diximus; sed nulli tamen apertius & significantius, quam Job. XXXIII. 23, 24 & Ps. XLIX. 8, 9, 16. In priori quippe loco Angelus מְלִיץ (sive Interpres, Advocatus, aut Mediator, uti vult Mercerus, qui est Angelus Foederis, Angelus Faciei, & Angelus magni consilii) unus ex mille, liberationem hominis ab exitio ita petit: Redime ipsum (פְּדֵהוּ) ne descendat in foveam: inveni כפר (כפר) sive lytrum. Hic itaque locus, uti quidem consummatissimus Theologus, Johannes Coccejus, disertè loquitur, testatam facit fidem Veteris Ecclesiae de Mediatore. Et post pauca: Sunt haec quidem dicta ab Elihu, pro istorum temporum conditione, αἰσχυροῦς ματαιότητος; sed ita tamen examussim convenientia cum Prophetarum praedictionibus Apostolorumque praedicationibus, ut, nisi putes Spiritum Sanctum aliud, quam ad mysterium Evangelii, veteres voluisse docere, aliudque olim, quam recentioribus temporibus, iisdem loquendi formulis docere, minime dubitandum sit, quin haec verborum Elihu à Spiritu Dei profectorum, & ab ipso pro modulo suo intellectorum, vera mens sit. Neque sane erat, quod Elihu prius aptiusque Jobo in culcare posset. Quanquam verò Jobus fidem suam in Mediatorem satis luculenter esset professus, imprimis cap. XIX. ubi de Resurrectione loquitur; doctrinam tamen, de Merito & Satisfactione Christi, non ita evidenter attigerat, neque in disputationibus suis hanc utilitatem crucis, quam Elihu ostendit, vel attenderat, vel pro dignitate exaggeraverat.

§. IV.

Quod si jam ad Posteriores, Psalmi nempe XLIX. 8, 9, 16. locum paulo accuratius velimus attendere, illico deprehendemus, easdem ibi voces Hebraeas in eodem plane significatū occurrere, ita enim Psalter: Frater non redimendo redimet, (פְּדֵה יְפֹדֵהוּ) quenquam, non dabit Deo pretium ejus, (כֶּפֶר)

(כפר) Nam pretiosum est lytron (פרי) animarum ipsorum, & deficiet in seculum. Sed Deus redimet (יפר) animam meam ex manu inferni, כי יקחני quum assumet me. Et illa quidem verba tantum profecto mysteriorum continent, ut pensiculate atque enucleate magis considerari à nobis debeant; praefertim cum ipse Spiritus S. hunc Psalmum ἀνιγμα five πρῶβλημα vocaverit. Etenim id videtur Spiritus Sanctus per Psalmographum Fideles Veteris Testamenti docere voluisse: solam quippe fidem in promissum Patribus Messiam, Ejusque Redemptionem unicum spei ac totius felicitatis suae fundamentum ac complementum esse. Heic itaque primum rejiciuntur & exploduntur erronea illa Judaeorum carnalium praedicia, qui Salutem suam in cultu Legis Mosaicae, in Ritibus Sacrificiorum, & in Haereditate ac Pinguedine Terrae Canaan positam esse existimabant: deinde etiam admodum emphatice ostenditur, quam misera conditio, & quam flebilis eorumdem hominum sit exitus, qui in carnalibus hisce Ritibus, & in terrenae ejusmodi felicitate fiduciam suam collocant, qui umbraticis atque imaginariis istis rebus Deum, sibi & peccatis suis iratum placari posse autumant; cum haec omnia maximam partem usque adeo vana atque inania sint, ut conscientiam assiduis ac pene domesticis peccatorum Furiis misere agitatas atque excarnificatam tranquillare neququam possint. Quin immo Ritibus hisce omnibus ac singulis palam potius testabantur Judaei, pro peccatis suis necdum satisfactum esse; neque enim Christus, ut loquitur Paulus Coloss. II. 14, ἐξάλειψας τὸ καθ' ἡμῶν χειρόγραφον τοῖς δόγμασιν, ὃ ἦν ὑπεναγίον ἡμῖν, quod χειρόγραφον victimarum sanguine quotidie signabant, & vel eam etiam ratione haud obscure declarabant, veram atque unicam animarum suarum ab aeterno exitio liberationem à nullo alio, quam à Deo, à spirituali Salutis suae Petra, expectandam, & ipsa denique

nique Testatoris morte impetrandam esse, cum eò  
 potissimum tot V. Testamenti umbratiles typi colli-  
 nearent. Quoniam vero hoc ipsum Fidelibus V. Te-  
 stamenti altà mente debebat repostum manere; hinc  
 Spiritus S. per Psalmographum planissime atque em-  
 phatice admodum dicit: *Frater non redimendo redimet quen-*  
*quam, non dabit Deo pretium ejus.* Etenim *Frater ex Fratibus,*  
*& Fratibus* itemque *per omnia,* ne peccato quidem ex-  
 cepto, *similis,* qualis *Frater* erat V. Testamenti Pontifex,  
*non redimendo redimet quenquam,* sive, quod *Hebraismus* ille  
 proprie denotat, nullo modo redimet quenquam, &  
 nulla ratione dabit Deo pretium ejus; quoniam &  
 ΨΝ sive hominum *ditissimus* ac *potentissimus* quisque na-  
 turâ suâ peccati mancipium, & vel idcirco æternis sup-  
 pliciiis obnoxius est. Necessum itaque erat, ut pecca-  
 tor redimeretur non per *Fratrem,* qui esset *ψιλός άνθρω-*  
*πος,* ut redimeretur non per *ἀρχιερέα μη δυνάμενον*  
*συμπαιῆσαι ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν, πεπειρασμένον δὲ κατὰ*  
*πάντα κατ' ὁμοιότητα, χωρὶς ἀμαρτίας,* Hebr. IV. 15. Ra-  
 tio est evidens: quoniam frater, sive sacerdos ex Fra-  
 tribus, & ille quidem *ψιλός άνθρωπος,* non dabit Deo *pre-*  
*tium ejus.* Qui enim potest peccator peccatorem redi-  
 mere? Et qui potest peccator pretium Redemptionis  
 Deo pro aliis dare, cum ipse Redemptionis pretio in-  
 digeat? Hinc V. Testamenti Pontifex *ὀφείλει, καθὼς περὶ*  
*τὸ λαὸν, δῶνα καὶ περὶ ἑαυτοῦ προσφέρειν ὑπὲρ ἀμαρτιῶν* Hebr. V. 3.  
 Hinc in Versione τῶν LXX. legimus: *ὃ δώσει τῷ θεῷ*  
*ἐξίλασμα ἑαυτοῦ,* quibus verbis Interpretes illud signifi-  
 care voluisse videntur: *Frater non redimendo redimet quen-*  
*quam,* quia frater, sive sacerdos ex Fratibus, & ille  
 quidem *ψιλός άνθρωπος,* non dabit Deo *ἐξίλασμα* sui  
*ἑαυτοῦ;* unde liquet, quod LXX. Hebraicum τὸ ἱερεὺς ad  
*Fratrem,* sive ad *Sacerdotem ex Fratibus* retulerint; utpote  
 qui Deo *ἐξίλασμα* ne sui ipsius quidem, multo minus  
 ergo *ἐξίλασμα* pro aliis dare possit. Quod ipsum ad a-  
 mus-

musim convenit cum effato *Paulino* jam modo allegato, & quod ab Exegetis ullibi observatum fuisse, meminisse non possum: qui omnes Hebraicum τὸ ἴσδω vel ad redimendum, qui pretio redemptionis indiget, vel ad Deum Judicem, qui pretium redemptionis exigit, nominatim & magna animorum consensione referunt. Quod autem *Frater*, sive *Sacerdos ex fratribus*, & ille quidem ψιλὸς ἄνθρωπος, Deo non possit dare ἐξίλασμα sui ipsius, & multò minus ἐξίλασμα pro aliis, ratione non caret: Nam pretiosum est lytron animarum ipsorum, & deficiet in seculum. Hinc *Christus Matth. XVI. 26.* dicit: τί γὰρ ὠφελεῖται ἄνθρωπος, εἰὰν τὸν κόσμον ὅλον κερδήσῃ, τὴν δὲ ψυχὴν αὐτοῦ ζημιωθῆ; ἢ τί δώσει ἄνθρωπος ἀντάλλαγμα τῆς ψυχῆς αὐτοῦ. §. V.

Quæ cum ita sint, quod nempe *Frater*, sive *Sacerdos ex fratribus*, & ille quidem ψιλὸς ἄνθρωπος, neminem redimere, & quod Deo pretium neque sui ipsius, neque pro aliis dare possit; hinc tandem *Psalmes versu 16.* apte concludit: *Deus redimet animam meam ex manu inferni, cum assumet me.* Patet ergo, *Fideles V. Testamenti* non in *mero fratre*, qualis erat *Pontifex κατὰ τὴν τάξιν Ἀαρὼν*; sed in *fratre*, qui erat ἀρχιερεὺς, κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδέκ, ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν, μήτε ζωῆς τέλος ἔχων, *Hebr. VII. 3.* Quin immo in *fratre*, qui erat θεάνθρωπος, & *Deus Mediator*, fiduciam suam habuisse positam. Patet porro etiam, *Fideles V. Testamenti* sanctissimam illam fidem, in quâ à primis suis incunabulis adoleverant, & quam quotidianâ itemque praxi declarabant, ante oculos perpetuo sibi posuisse, quod nimirum absolute necessaria sit *Satisfactio*, & vera etiam *Redemptio*, si à peccato & peccati poenâ liberari, atque aeternum salvari vellent. Patet denique ex *Psalmographi* verbis, *Fidelibus V. Testamenti* illud quoque ex divinis Oraculis perspectum exploratumque penitus fuisse, *Deum* quippe & *Eum esse*, qui pretium

dat, & Eum esse, qui pretium accipit; quod ipsum, licet ad Socinianorum palatum minime sit dictum, apprime nihilo tamen minus convenit cum N. Testamenti Doctrinâ, ubi plus vice simplice legimus. datum esse Filium à Patre; & Filium se ipsum victimam obtulisse Patri. Poterat itaque Psaltes vere dicere: Deus Mediator redimet (יפד) animam meam, interveniente nimirum vero & proprio sanguinis sui lytro, ex manu inferni, quum assumet me, (כי יקני) sive, quum vindicabit me, tanquam Goël, ut peculium suum. Licet enim omnes Interpretes, quos quidem ego consulere potui, verbum Hebraicum קני assumere, vel suscipere in gloriam, heïc & alibi denotare posse existiment; licet etiam Doctiss. Joh. Coccejus, alter ille Ἀπολλῶς, ἀνὴρ λόγιος, καὶ δυνατὸς ἐν ταῖς γραφαῖς, ad hunc locum nostrum ita scripserit: Mors piorum est assumptio, & est translatio ex valle umbræ ac mortis in domum Dei, ubi gaudiorum satietas; fateor tamen, & liceat id mihi pace tantorum Interpretum, quorum Manes & Merita sancte veneror, paulo apertius dicere; fateor, inquam, hanc explicationem nonnullis utique difficultatibus laborare. Etenim aliquanto obscurius, parum etiam apposite atque accommodate ad Spiritus sancti mentem mihi certe videtur dici: Deus Mediator redimet, pretio sanguinis sui, animam meam ex manu inferni, quum assumet me in gloriam. Certe ἐμφατικώτερος ac multò significantius mihi quidem Spiritus Sancti verba hoc modo explicari videntur: Deus Mediator redimet animam meam, pretio sanguinis sui, ex manu inferni, quum vel quia vindicabit me, tanquam Goël, ut peculium suum. Nam Hebræorum τὸ קני convenit cum Græcorum λαμβάνειν, ἐπιλαμβάνεσθαι & ἀντιλαμβάνεσθαι; unde etiam LXX. Interpretes יקני כי verterunt: ὅταν λαμβάνη με. Jam vero constat, verbum λαμβάνειν passim apud Scriptores [tam sacros, quam profanos] significare: prehendere, corripere, manum injicere, & suo quodam jure sumere, vel accipere:

pere; immo etiam *emere*, ut sapiuscule apud *Homerum* & *Aristophanem*. Neque Hebræorum τὸ ἱρκῆ has significationes ita penitus respuere, docet *Doctiss. Buxtorfius* in *Lexic. Chald. Talmud. & Rabbin.* Verbis autem λαμβάνειν, ἐπιλαμβάνεσθαι & ἀνὴρ λαμβάνεσθαι eleganter admodum alluditur ad antiquum illum apud *Hebræos*, *Græcos*, & *Romanos* usitatisimum vindicandi Ritus. Solebant quippe veteres rebus hominibusque vindicandis, coram *Judice*, manum injicere, additâ illâ vindicandi formulâ: HAEC. MEA. SUNT. five etiam: HUNC. HOMINEM. EX. JURE. QUIRITIUM. MEUM. ESSE. ΑΓΘ. ΕΓΥΣΩΕ. VINDICIAS. MIHI. CONSERVARI. POSTULO; unde pasfim apud *Poëtas*:

Et dicam, MEA. SUNT. INJICIAMQUE. MANUS.

Sic apud *Virgilium*, *Eccl. X.*

----- HAEC. MEA. SUNT. veteres migrate coloni. Simile quid à *Fœtialibus* in REPETUNDIS. POPULI. ROMANI. REBUS. & à DOMINIS itemque in SERVORUM. MANUMISSIONIBUS. observatum fuit. Etenim *Fœtiales*, eorumque *Legati* in CLARIFICATIONE, cum MANUM. INIICERE. non possent, HASTAM. PRAEUSTAM. in hostile solum projiciebant, & JOVEM. VINDICEM. verbis solennibus obtestabantur, *bellum justissime suscipi*, neque aliud quidquam velle Populum Romanum, quam RES. SUAS. RAPTAS. CLARE. REPETERE. Vid. *Dionys. Halic. L. II. Livius L. I. A. Gellius Noct. Attic. L. XVI. c. 4. Ennius L. VIII. Ann. & P. Merula in not. ad b. l.* Et in MANUMISSIONIBUS. SERVORUM, teste *Festo*, DOMINUS quoque caput servi quem in libertatem venire volebat, tenens dicebat: HUNC. EGO HOMINEM. LIBERUM. ESSE. VOLO. & sic eum de manu sua emittebat. *Servorum autem manumissorum insignia erant:*

erant: *Alba vestis, aureus Annulus, Patroni Nomen, Tribus, & Mensa*, immo etiam *Pileus*, uti diserte testatur *Tertullian. de Resurrect. Carnis*; quæ quidem omnia, si quis ingenio suo critico immoderatus hic abundare ac luxuriare velit, perquam eleganter illis applicari possunt, quos *Deus Mediator*, pretio sanguinis sui, redemit ex manu inferni, & quos, tanquam *Goël*, ut peculium suum vindicavit. Ecquid enim aliud est *Iustitia, Sanctitas, atque Innocentia Christi nobis imputata*, quam *vestis alba*? five illa ἱμάτια λευκά, quæ fideles ἐλεύκακαν ἐν τῷ αἵματι τοῦ ἀρνίου. vid. *Aroc. VII. 14. & ibi passim*. Ecquid aliud est *Spiritus Sanctus, Spiritus τῆς ἐπαγγελίας*, quam *Annulus aureus*? Illo enim Spiritu obsignati sumus, & ille est ἀρραβὼν τῆς κληρονομίας ἡμῶν εἰς ἀπολύτρωσιν τῆς περιποιήσεως, εἰς ἔπαινον τῆς δόξης αὐτοῦ. *Ephes. I. 14. 2. Cor. I. 22. V. 5.* Ecquid aliud per *Patroni Nomen, Tribum, & Mensam* indicatur, quam idipsum, quod *Aroc. II. 17.* dicitur? τῶ νικῶντι δάσω αὐτῷ φαγεῖν ἀπὸ τοῦ Μάννα τοῦ κερρωμένου, καὶ δάσω αὐτῷ ψῆφον λευκὴν, καὶ ἐπὶ τῆν ψῆφον ὄνομα καινὸν γεγραμμένον, ὃ οὐδεὶς ἐγνώκει μὴ ὁ λαμβάνων. Ecquid tandem aliud est *Libertas nostra spiritualis, quam Pileus*, inquam, (a) publicum & pulcherrimum, sacrum & religiosum aliquod signum εἰς τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης τῶν τέκνων τοῦ θεοῦ. *Rom. VIII. 21.*

§. VI.

Sed ne extra oleas forte vagari videamur, paulo jam propius ad rem ipsam accedimus. Crediderim vero, quemadmodum *Hebraeorum ΠΡΛ* multum omnino affinitatis habet cum *Graecorum λαμβάνειν, ἐπιλαμβάνεσθαι &*

(a) Hinc in antiquissimo *Bruti Nummo PILEUS* conspicitur duobus pugionibus impositus, tanquam recuperatae *Libertatis* monumentum. Hinc ἐλευθεριος ἔσθις apud *Suidam*, & *Eleutheria Sacra* apud *Macrob. in Saturn.* Sed Χρῖστω ἐλευθερίω, five *LIBERATORI* potiori utique jure nos Christiani sacra facimus.

& ἀντιλαμβάνεσθαι; ita etiam haec verba Graeca apte admodum convenire cum Hebraeorum חַנְיָ, quod utique respicit Veteris Reipublicae Judaicae Ritus & Leges *Levit. XXV. 25.* proluxe satis descriptas. Verbum certe compositum ἐπιλαμβάνεσθαι in significatione τῆς חַנְיָ Paulus adhibuit *Hebr. II. 16.* Οὐ γὰρ δέπου ἀγγέλων ἐπιλαμβάνεται, ἀλλὰ σπέρματος Ἀβραάμ ἐπιλαμβάνεται; quod ipsum Viri Doctissimi ac perspicacissimi, Coccejus, Camero, Melchior, D'Outrein, & complures alii firmis ac gravissimis rationibus evicerunt. Et sane, vel unus ille Pauli locus, veluti Ajacis quidam clypeus, omnia *Origenistarum* leviora atque hebetiora tela prope modum infringit. Neque enim aliud quid piam innuit Apostolus, quam quidem illud: quod nempe Christus, tanquam חַנְיָ sive ἐπιλήπτωρ & ἀγχισεύς, nullibi profecto in S. Literis, *Angelos*, sive bonos, sive malos, ut *peculium suum*, vindicasse legatur, ἀλλὰ σπέρματος Ἀβραάμ ἐπιλαμβάνεται. Et Paulini hujus effati ratio evidentissima est: quia enim *Angeli boni* nunquam peccaverunt; hinc vel ultrò etiam sequitur, quod חַנְיָ sive ἐπιλήπτωρ illis minime fuerit opus: licet luculenter satis sciam, ex antiquis Ecclesiae Patribus oppido multos in illam pedibus ivisse sententiam, *Angelos* quippe bonos, *Satisfactione Christi*, in primævo felicitatis suae statu plane confirmatos esse. *Angelos* vero malos μὴ τηρήσαντας τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν, ἀλλὰ ἀπολιπόντας τὸ ἴδιον δικητήριον εἰς κρίσιν μεγάλης ἡμέρας, δεσμοῖς αἰδίοις ὑπὸ ζόφου τετήρηκεν *Jud. 6.* Quare etiam *Damascenus* contra *Manichæos* ita scribit: *Cum Diabolus* sua sponte peccarit, sine ulla mansit *repententia*. Scire enim oportet, quod hominibus mors est, hoc *Angelis* esse lapsum: post lapsum non est illis poenitentiae locus, ut neque post mortem hominibus. Et *Phil. Melancthon* ad *Prot-Evangelii* verba egregie admodum commentatur: *Propōnitur Maledictio aeterna Satanae, & corporis illius; homo au-*

tem non maledicitur aeterna Maledictione, quod futurum fuerit, ut redimeretur. Nam quae postea sequuntur, quae videntur esse poenae, non Maledictiones sunt, crux & benedictio. Idem illud ex antiquitatibus Hebraicis prolixè satis demonstravit Raimundus Pug. Fid. P. III. Dist. 2. C. 5. §. 10. qui ex Midrasch Tillim in Psalmum I. allegat: Omnia sanabuntur in futuro, seculo (b) serpens vero non sanabitur, conf. Job. de Voisin in suis ad Raimund. observat. Per serpentem vero intelligunt Judaei Sammaëlem, quod magnus eorum Doctor Maimonides prolixè ac diferte satis tradit Mor. Neb. P. II. C. 30. Serpens, inquit ille, quaecumque parrabat & verba loquebatur, ea non nisi ex suggestu Sammaëlis egit ac profatus est, quod nomen Sammaël Judæos absolute (c) de Satana usurpare docet, & tandem, secundum interpretationem Celeb. Buxtorfsii, concludit: Sic itaque apparet, quod Sammaël sit ipse Satan, & quod per illud nomen certi & occulti aliquid significetur, sicut per nomen Nachasch, h. e. serpens. Accedunt ad hanc sententiam suffragio suo antiqui duo ex ipsis Judaeis Interpretes, qui paraphrasi sua multum profecto Christianorum fidem confirmant. Horum prior est Jonathan Ben Uzzielidis, qui, interpretante Sal. Glasio, verba Prot-Evangelii ita illustrat: Et inimicitiam ponam inter Te & inter Mulierem; inter semen Filii tui, & inter semen filiorum ejus: & eris, quando erunt filii ejus servantes praecepta legis, erunt

(b) Vid. Jof. C. LXV. 25. & conf. ad h. I. D. Pareus, Vitringa, & ipse Lyranus, qui multa & eximia adeo in S. Scripturam commentatus est, ut de eo dixerit ipsa pene barbaries: Si Lyra non lyraffet, Lutherus non salraffet.

(c) Errant itaque Socinianorum Antesignani, Volkelinus de Relig. L. II. C. 8. Smalcus de Divin. Christi C. 2: Quos secuti sunt H. Grotius, Episcopus, atque alii, qui serpentem animantem & proprie dictum intelligunt, & ultra sensum literalem vix adscendunt. Et utinam eadem somnia non somniasset Cumeus de Rep. Hebr. L. III. C. 1. Si verba, inquit ille, ut sonant, sequimur, tota res optime in serpente quadrat. Qui vero aliter existimarunt, ne magno opere in illis judicium desideramus. Nec abludivit Clericus.

erunt intenti ad vulnerandum te in capite tuo: & quando deserent praecepta legis, tu eris intentus ad percutiendum eos in calcaneis eorum: ast (NB.) erit illis sanatio, seu remedium, & (NB.) tibi non erit remedium; & illi consicient emplastrum in calcaneo in diebus Regis Messiae. Hujus vero Jonathans auctoritas apud Judaeos summa est, quoniam ex illorum sententia fuit discipulus Hillelis, quem Deus Oraculo  $\text{הוֹרֵה}$ , seu filiae vocis, alloqui non dedignatus est: de quo Jonathane, hanc paraphrasin adornante, Judaei itidem nimis allegorice & hyperbolice narrant, terram eo ipso tempore ad quinquaginta milliaria concussam fuisse, uti quidem observat Clariss. le Moyne ad Jerem. XXIII. 6. C. 1. §. 9. Posterior vero, nempe Hierosolymitanus cum priori fere coincidit, & secundum versionem P. Fagii, verba Prot-Evangelij sic explicat; Et erit, quando Filii Mulieris operam dabunt legi, & facient praecepta, tunc studebunt tibi contere caput, & occident te: cum vero deseruerint filii Mulieris, praecepta legis, nec servabunt mandata, tu operam dabis, ut mordeas eos in calcaneis eorum, & ita noceas eis. Verum tamen (NB.) remedium erit Filiis Mulieris, tibi vero (NB.) serpentis nullum erit remedium. (d) Quando quidem futurum est, ut amoveant morsum, qui factus est in calcaneo in fine dierum, scilicet diebus Messiae.

§. VII.

Christus ergo non est  $\text{הַנִּיחַ$ , sive  $\text{ἐπιλήπιος}$  Angelorum, ἀλλὰ σπέρματος Ἀβραάμ; quod semen Abrahami

(d) Ipse diabolus summæ suæ calamitatis, in quam ex illo beatitudinis fastigio præceps ruit, non modo sibi conscius est, adeoque præter poenam damni, illam quoque sensus habet; sed cum tremore etiam expectat Dei judicium, sine ulla inquam restitutionis spe. Quin immo summum illum maledictionis gradum Cabbala, Notaricon illis dicta, ex tribus literis ipsius nominis  $\text{נחש}$ , sive serpentis, elicit. Comprehendit enim tres illas horribilis anathematis species, nempe:  $\text{אשריך} / \text{אשריך} / \text{אשריך}$  quæ in serpentem illum antiquum & Diabolum, ceu vas anathematis, vibrantur merito. Vid. Celeb. Buxtorffii Lexic. Chald. Talm. & Rabb. de singulis vocibus.

mi hic admodum emphatice opponitur *semini serpentis*, sive *Diaboli*. Licet vero *Diabolus*, *semen* proprie ita dictum, licet *filios*, (e) *familiam*, ac *posteritatem* eo sensu minime habeat, quo sensu *semen* in S. Literis accipi solet: recte tamen per *semen Diaboli* intelliguntur (f) *Angeli omnes mali*, sive *tota illa infelix spirituum infernalium colluvies* ac *caverna*, quam R. *Eliezer* (g) *Sammaëlis turman* vocavit. *Semen Serpentis* sive *Diaboli* porro etiam denotare potest illos homines, qui sunt *filii inobedientiae*, *irae*, *maledictionis*, *gehenna*, immo ipsius *Diaboli*, *Ephes. II-2, 3. 2. Petr. II-14. Matth. XXIII-15. I. Joh. III-8. Actor. XIII-10.* Quorum primus existimatur fuisse (h) *Cainus*, & deinde omnes illi, qui τῆ ὁδῶ τῆ καὶ ἐπορεύθησαν, οἷς ὁ ἔδφος τῆ σκότους εἰς τὸν αἰῶνα τετήρηται, *Jud. 11. & 13.* Isti enim ex *Patre Diabolo* prognati esse dicuntur, *Joh. VIII-44*, sive, ut recte explicat *Augustinus Tract. XXII. in Joh. Imitando*, inquit, *non nascendo facti sunt filii Satanae*; neque enim in *essentiam Diaboli*, ut diferte loquitur *Chrysostomus ad I. Joh. III-8*, *transferunt*, (i) *Sed opera ejus fecerunt*. Hinc *Abarbanel* ad *semen Serpentis* refert *impios Cananeos*: Ipse etiam *Grotius* existimat,

- (e) Fabula enim est, quam fingunt Judæi, binos quippe é coelo pullos fuisse angelos, *Schamchujai* & *Usaëlem*, qui ex filiabus hominum pulchris sibi uxores delegerint, ex iisque malos alios spiritus genuerint, uti refert *Serson in Talmude suo Lib. I. cap. 9.*
- (f) *Semen* sive *filii* alicujus illi etiam dicuntur, qui ingenium & mores alicujus sequuntur, quod contra *Kimchium* & *Isaacum* Rabbinos probavit *Gussetius Verit. Evang. cap. XXI. pag. m. 166.*
- (g) Conf. *Franzius Schol. Sacrif. Disp. X. §. 95.* Hinc *Apoc. XII-7.* *Draco* & *Angeli* ejus contra *Michaëlem* & ejus *Angelos* præliari leguntur.
- (h) Vid. *Clariff. Altingius de Institut. Sabbathi L. II. cap. 8.*
- (i) *Augustinus* loco cit. illustrat sententiam suam ex *Ezech. XVI-2.* ubi pater *Amorrhæus* esse dicitur, & Mater *Chittæa.*

timat, per *semen Serpentis* allegorice intelligendos esse *impios*: licet Clericus, pro more suo, valde dubitanter ac somniculose scripserit: *Cacodaemonis filii sunt* NB. ut videtur, *mali homines*. Impios utique *Johannes Baptista*, & ipse *Christus Matth. III-7. & XII-34.* progeniem viperarum appellant. Quam sententiam multi etiam *Augustanae Confessionis Fratres Theologi* sicut amplexi, eamque *Hülsemannus, Geierus, Majus*, alique oppido plures utroque pollice probarunt. *Chemnitius* certe *Harmon. Evang. c. XVI.* eleganter ac nervose admodum scribit: *Per semen serpentis significatur natura veneno peccati à serpente infecta, quae malitia, impia educatione, prava institutione, & simulata assefactione, fit insanabile & lethale venenum, quale viperarum virus esse Actor. XXVIII. 4. describitur.*

§. VIII.

*Serpentino* huic *Satanae semini* opponitur *semen Abrahami*, cujus  $\text{בְּרִית}$  atque  $\text{ἐπιλήψιος}$  *Christus* in summa emphasi ab *Apostolo Paulo* appellatur. Quinam vero per *semen Abrahae* intelligi debeant, ipse *Paulus*, optimus verborum suorum *Interpres*, alibi paulo apertius indicat. *Semen Abrahami* sunt, in sensu strictiori atque angustiori, *Abrahami posterii*, sive *Israëlita* proprie sic dicti; minime tamen omnes ac singuli:  $\text{ὁὗ γὰρ πάντες οἱ ἐξ Ἰσραὴλ, οὗτος Ἰσραὴλ. Οὐδ' ὅτι εἰσὶ σπέρμα Ἀβραάμ, πάντες τέκνα. Rom. IX. 6, 7. conf. Joh. VIII. 39.}$  Neque etiam ille *Judaeus* est, qui est  $\text{ἐν τῷ Φανερωῖ Ἰουδαῖος, οὐδὲ ἢ ἐν τῷ Φανερωῖ ἐν σαρκί, περιτομή. Ἄλλ' ὁ ἐν τῷ κρυπτῷ Ἰουδαῖος, καὶ περιτομή καρδίας, ἐν πνεύματι, οὐ γεράμματα, οὐ ὁ ἐπαινε, οὐκ ἐκ Ἰσραήτων, ἀλλ' ἐκ τῆ θεῶ, Rom. II. 28. 29.}$  In sensu autem latiori atque angustiori *Semen Abrahami* sunt, qui *ambulant in fide Abrahami*, qui *faciunt opera Abrahami*, qui denique sunt *heredes bonorum ac promissio-*

num Abrahami, five illi sint ex Judæis, & circumcissione, five ex Gentibus & praeputio. Et illud omnino Semen Abrahami, in oppositione ad Semen serpentis, referri etiam debet ad Semen Mulieris, Genes. III. 14, 15. Licet enim per Semen Mulieris primario significetur (k) Messias; Electi tamen neutiquam excludi, & Membra à Capite suo mystico minime divelli debent: Hinc Melancthon ad cir. Genes. locum ita scribit: Est autem Semen Mu-  
lieris

(k) Quod ipsum probe etiam intellexerunt antiquissimi Judæorum Magistri, conf. modo Ainsworth ad Genes. III. 14, 15. qui testimonium allegavit ex R. Menachem, & Doctif. Vitringa Observat. Sacr. L. I. p. m. 139. nec non Clar. Meyrus in Dissert. de Trinit. c. II. § 85. qui ex antiquissimo libro Jezirab, quem nonnulli Patriarchæ Abrahami foetum esse perperam existimarunt, locum plane insignem protulit: Quotidie nimirum in coelo proclamatum esse, quod REGIS FILIA (Pl. XLV.) in uxorem danda sit ei, qui interfecerit serpentem, à quo non solum primus homo, sed & omnes Generationes trucidatæ; nec inventum esse VIRUM, qui serpentem interficeret, nisi SCHILOH &c. Hinc mirari satis non possum, Smalcium, Volkeliium, Episcopium, & ejus ex sorore nepotem, Phil. Limburgium, ad allegatum Genes. locum ita prorsus coecutire potuisse, ut Messiam ibi vel plane non viderint, vel alto tamen silentio hoc vaticinium premere ac præterire maluerint; cum ipsos tamen Paganos nonnihil de isthoc Mulieris semine per nubeculam veluti vidisse, evicerit doctiss. Præsul Stellingfleet in Orig. Sac. Præclare & pie admodum de iis omnibus sensit ὁ Μαχαρίτης, Cl Herm. Witzius, Præceptor olim summe venerabilis, Oecon. IV, c. 6, §. 8. Licet modus in rebus sit, tolerabilius tamen eum peccare existimem, qui Christum se videre arbitratur, ubi fortasse se non ostentat, quam qui eum videre renuit, ubi se clare satis offert. Alterum enim indicium est animi Christum diligentis, plurimumque, & vel minima, vel fortasse nulla data occasione, de eo cogitantis: alterum segnem animum arguit, & qui tardus ad credendum sit. Qualis se in Socinians, & magno ceteroquin Grotio, quem tanti passim facit sequiturque Cl. Clericus, prodit, plurima passim ita torquentibus UT NIHILCUM CHRISTO COMMUNE HABERE VIDEANTUR.

3  
2  
3  
3  
4  
4  
4

lieris Christus, & quicumque sunt in Christo. Ipse etiam B. Lutherus, licet ceteroqui acriter urgeret, solum hic intelligi Messiam, asserere tamen nullus dubitavit, mirabilem esse Synecdochen in femine Mulieris, quod sonat, inquit ille, in genere de omnibus individuis, & tamen de uno tantum individuo, de Mariae femine loquitur. Cum Melancthone diserte consentit Calvinus noster in Comment. suo ad b. l. & Instit. L. II. Cap. 13. §. 2. Non debebat ergo pientissima Calvini anima tam acerbe eam ob causam à nonnullis vapulare, quasi vèro hac in parte cum Judæis faceret. Qui vero Calvinum Judaizantem (1) dicere non erubescunt, illi profecto manifeste satis produnt, se Calvini scripta nunquam perlustrasse, utpote qui Judaizantibus ubique vel imprimis contradicit.

§. IX.

Hoc itaque Abrahami Semen, excluso omni serpentino Diaboli femine, Christus tanquam  $\text{בְּרִית}$  &  $\epsilon\pi\alpha\lambda\eta\pi\omega\rho$ , ut peculium suum, peculiari quodam modo vindicavit. Etenim  $\text{בְּרִית}$  sive  $\epsilon\pi\alpha\lambda\eta\pi\omega\rho$ , in sensu maxime proprio ac significativo, proximum notat Consanguineum, qui consanguinitatis jure, & lege dilectionis, fratris sive consanguinei sui & secunda & adversa fata sua esse putat. Quare etiam LXX. Interpretes, & imprimis (m) Theodotion, Hebræorum  $\text{בְּרִית}$  &  $\text{בְּרִית}$  multoties per  $\alpha\gamma\chi\iota\sigma\epsilon\upsilon\epsilon\upsilon$  &  $\alpha\gamma\chi\iota\sigma\epsilon\delta\varsigma$  verterunt. Et sane Christus est Consanguineus noster, (n)  $\omega\epsilon\gamma\omega\tau\omicron\kappa\epsilon$  &  $\epsilon\upsilon$  πολλοῖς ἀδελφοῖς Rom. VIII. 29. & non pudet Eum, nos fratres suos appellare, quia enim  $\tau\alpha$  παῖδια  $\kappa\epsilon\kappa\omicron\iota\omega\acute{\nu}\eta\kappa\epsilon$   $\sigma\alpha\rho\kappa\acute{\omicron}\varsigma$   $\kappa\alpha\iota$   $\alpha\iota\mu\alpha\tau\acute{\omicron}\varsigma$ ,  $\kappa\alpha\iota$   $\alpha\upsilon\tau\acute{\omicron}\varsigma$   $\omega\sigma\tau\epsilon$   $\alpha\pi\lambda\eta\sigma\iota\omega\varsigma$

- (1) Quæ audaculæ exprobratio convenit cum jejuniis ac frigidis illis calumniis, quibus Calvinus in causa Serbeti imperite atque impudenter nimis onerari solet.
- (m) Qui imperante Commodò V. Testamentum ad usum Judæorum Græcissantium in linguam Græcam transtulit, qua Versione Hieronymus imprimis usus est.
- (n) Qui jure ac titulo creationis & conservationis erat Deus & Dominus noster, voluit jure ac titulo Redemptionis esse frater & consanguineus noster, Augustin.

ὅπως μετέσχε τῶν ἀνθρώπων, *Hebr. II. 11. 14.* Postulabat vero Lex *Levit. XXV* si quis in tam flebilem apud Israelitas forte incidisset paupertatem, ut, vel patrimonium suum vendere, vel ipse sese in servitutem dedere cogeretur, ut *proximus Consanguineus* ipsum consanguineum divenditum in libertatem vindicaret, possessiones itidem abalienatas, & ad alios possessores devolutas, persoluto certo quodam pretio, assereret, ut ea potissimum ratione ad dominum rediret, quod fuit ante suum; quod qui praestabat, לָקַיִ אֲפֵלָא appellabatur. Jam vero constat, nos omnes patrimonium & bona nostra, instar prodigi istius filii, dilapidasse, nos omnes ἐπὶ τὴν ἀμαρτίαν venditos, *Rom. VII. 14.* nos omnes denique tristissimis aeternae mortis ac damnationis vinculis misere excrucianos fuisse: Ecquis vero bona nostra naufraga, amissam Dei Imaginem, atque haereditatem coelestem nobis recuperavit? Goël utique noster Christus: Ecquis nos ipsos à servitute peccati ac mortis, ecquis a dominio Satanae atque inferni liberavit? Goël utique noster Christus, *conf. Jes. LXI. 1.* Ecquis non *auro argenteo*, sed *pretioso sanguinis* sui lytro nos, ut peculium suum, vindicavit? Goël utique noster Christus: Omnem profecto

ILLE. UNUS. NOBIS. MORIENDO. RESTITUIT.  
REM.

Notatu praeterea dignum est, quod nempe Goël olim ex lege *Num. XXXV, 19.* & *Deut. XIX. 6.* teneretur fratris sive consanguinei interfecti sanguinem in eum vindicare, qui homicidium commiserat: sic, ut homicidam extra municipiorum pomoeria deprehensum impune posset interimere. Id ipsum vero praestitit utique Goël noster Christus: Is enim Satanam, qui ἀντὶ τοῦ προφήτου ἦν ἀρχὴς *Joh. VIII. 44.* extra portas urbis Hierosolymitanæ debellavit, serpenti antiquo in *Golgotha* caput contrivit, *Coloss. II. 15.* & *Hebr. II, 14.* sanguinem nostrum graviter ultus, gloriosissime vicit ac triumphavit.

umphavit *Leo* ille ex tribu *Judae*, *Apo. V. 5.* Et habuit omnino *Christus*, verus ille *Goël* noster, tantam in isthoc negotio, præ typico *V. Testamento Goële*, praerogativam, ut nos in peccatis mortuos ad vitam spiritualem resuscitaverit, & ab aeterna morte liberatos ad vitam aeternam revocaverit, *Ephes. II. 5. & Joh. X. 28.* Tandem vero & illud heic observari debet, *V. Testamento Goëlem* typicum, ex lege *Deut. XXV. 5. col. Matth. XXII.* obligatum fuisse, viduam Fratris defuncti, si proles deficeret, in matrimonium ducere, ut fratri mortuo semen excitaret, conf. *Deut. XXII. 3. & XXVII. 20. Ruth. III. 9.* Et sane *Christus*, verus ille *Goël* noster, postquam nos à priori Marito nostro, nimirum à *Lege*, & à *Foedere Operum* liberaverat, per *Foedus Gratiae* aeterno, ac indissolubili nos sibi junxit matrimonio, sic, ut nullo modo ab amore ejus divelli possimus, vid. *Rom. VII. 4. Eph. V. 25. Hof. II. 18. 19. Ezech. XVI. 18. Rom. VIII.* Quin immo sterilitatem nostram sustulit, verbo ac Spiritu suo *S.* ita plane nos irrigavit ac foecundavit, semen sanctum excitavit, ut simus arbores plantatae ad rivus aquarum, repletae fructibus justitiae. Haec itaque erant leges, ritus atque officia *Goëlis* typici sub *V. Testamento*, quae quidem omnia inter Pontificios *Pineda* in commentario suo ad *Jobum*, aliquanto compendiosius nobis exhibuit: (1) *REDEMPTOR*, inquit, *Propinquus esto.* (2) *Consanguinitatis iure redimito.* (3) *Injusto possessori pradam eripito.* (4) *Huic pretium nullum solvito.* (5) *Sanguinem pro Redemptionis pretio vero Domino offerito.* Deinde *REDEMTUS* (1) *Libertatis iure felix gaudero.* (2) *Servitutis jugum ne iterum sponte suscipito.* (3) *Servum te exhibeto obedientiae ad justitiam.*

§. X.

Haec tenus ergo firmissimis ac bene multis evicimus argumentis; *Satisfactionem*, quam *Sociniani*, juratisimi *Cru-*  
D
verunt,

verunt, absolute fuisse necessariam, ut peccata, & peccatorum tollerentur supplicia; Quod ipsum à Fidelibus V. Testamenti perpetua fide creditum, & quotidiana, atque ab omni ævo usitatisima inter illos praxi satis superque confirmatum est. Emphatica profecto Hebraeorum vocabula, כפר & פרה tot itemque typici Sacrificiorum inter Israëlitas Ritus evidentissime probant, illud utique Judæis persualissimum fuisse, Dei nimirum Justitiæ Vindici oportere omnino, ob peccata nostra, satisfieri. Probe memini, me in Judæorum scriptis olim legisse, sed in suppellectile mea literaria minus accurate adnotasse, quod tamen in Judaicis Pandectis versati facile in memoriam sibi revocabunt. Judæorum quippe Magistros, pro ingenio suo parabolico, ἐναίσιμος καὶ ἀναίσιμος sibi fingere, Omnes aliquando animas Dei oculis observatas, & inter illas hominum animas plane impuras fuisse: animam quoque Messiae accessisse, illamque à Deo interrogatam esse, velintne pro impuris hominum animabus sponsorem sese sistere? Protinus, ergo Messiae animam respondisse: SE VEL-

LE Quod commentum de anima Messiae parabolicum valde convenit cum eo, quod Eisenmengerus citat ex libro Schené luchdith habberith, ubi fol. 242. col. 1. hæc notatu dignissima occurrunt verba: Primum veniet Messias, filius Josephi, veniet deinde Messias, Filius Davidis: tunc reparabit Domus Josephi, quod dividendo regnum Familiae Davidis perdididerat. Nam Messias, Filius Josephi, non veniet sui ipsius causa, sed veniet Messiae ergo, qui est Filius Davidis; nam (NB.) semet ipsum offeret, (nempe in Sacrificium, sive ἱλασμόν) & animam suam effundet in mortem, & sanguis ejus populum Dei propitiabit, vid. Eisenmengeres Tom. II. p. 720. & 721. Etenim

TANTAE MOLIS. ERAT. LAPSAM. BENE. CONDERE. GENTEM.

ut jure merito Messias dicere potuerit: Servitute premis me propter peccata tua, satigas me iniquitatibus tuis, Jes. XLIII. 34. Quin immo ipsa Sacro-Sancta Trinitas in procurando

rando Salutis ac Redemptionis nostrae negotio jam ab aeterno occupata fuit, sic, ut habeamus spem, *ὡς ἀγκυραν τῆς ψυχῆς ἀσφαλῆ τῆ καὶ βεβαίαν, καὶ εἰσερχομένην εἰς τὸ ἐσώτερον τῆ κακαπέτασματος*, Hebr. VI. 19. In aeterno quippe *Pacis Consilio* ita inter Deum Patrem, Filium & Spiritum S. specialissimo quodam Pacto convenerat, ut, in *Oeconomia Salutis nostrae*, primum PATER susciperet non modo personam *Legislatoris & Judicis*, Legis suae transgressionem severe punientis; verum etiam personam sapientissimi ac benignissimi *Rektoris*, qui homini lapsō Sponsorem ultro mitteret: deinde, ut FILIUS indueret personam non modo *Sponsoris* peccata & debita nostra in se suscipientis, qui Patri suo, ut servus, in humana ac servili natura satisfaceret; verum etiam personam *Testatoris*, qui nobis legaret hæreditatem impetratam, ac proinde personam itemque *Domini*, quoniam suo nos sanguine debebat redimere: Tandem, ut SPIRITUS S. susciperet personam non modo *Restauratoris* divinæ Imaginis in hominibus per Christum liberatis; verum etiam personam *Auctoris* fidei ac respicientiæ, quibus mediis nos cum Deo denuo conjungeret; quare etiam Spiritus S. *Spiritus ille filiationis*, pignus & arrhabo salutis nostræ vocatur, *Ephes. IV. 30. Rom. VIII. 15.*

§. XL

Viderint ergo jam *Origenista*, posintne hæc omnia, quæ huc usque tam prolixè disseruimus, vel ulla etiam verisimilitudinis specie *Angelis Hominibusque impiis* applicari, qui aeternis infernalium suppliciorum flammis in palude stygia exuruntur? Jam olim *Seneca*, homo *Paganus* in *Herc. Oetao* scripserat:

NUNQUAM. STYGIAS. FERTUR. AD. UMBRAS.  
INCLUTA. VIRTUS.

At nos tam diserte probavimus, quod *Deus Mediator* pro illis, quos *ex manu inferni* redemit, *כֶּסֶף* five pretiosissimi

mū sanguinis sui lytrum obtulerit & persolverit Deo Patri, quod illorum factus sit  $\kappa\alpha\iota\ \epsilon\pi\iota\lambda\eta\pi\tau\omega\rho$ , & quod profecto nullibi in S. Literis, tanquam  $\kappa\alpha\iota\ \epsilon\pi\iota\lambda\eta\pi\tau\omega\rho$  sive *επιληπτωρ* Angelos, sed *semen Abrahae*, ut peculium suum, vindicasse legatur. Quī ergo hęc cum *Origenistarum* hypothesi conciliari possint, ego profecto nullus video. Sed quæ hæcenus ex illo Redemptionis nostræ per Christum capite contra *Origenistas καὶ ἄρτων* duntaxat disputavimus, ea dehinc multo uberius καὶ ἄ θέσω demonstrabimus.

## ANNEXA RESPONDENTIS.

### I.

**C**reberrima vocum Foederis, ac Testamenti, non satis distincta interpretatio, magnum in Ecclesia causata est errorem, cum tamen vocis  $\kappa\alpha\iota\ \epsilon\pi\iota\lambda\eta\pi\tau\omega\rho$  sensus non sit ita arctus, ut alteram tantum, sed utramque (licet non promiscue ubique) significet. Ad quam differentiam accuratè observandam, Spiritus S. rem allegans circumstantiamque discrete declarans, doctor & ductor erit.

### 2.

Foedus, idque Operum, Deum inter & hominem fuisse contractum non post, sed ante lapsum, (idque non solum Legi naturae, verum e iam revelatae innixum:) evidentissime: (1) non solum ex transgressione, eamque consequente eidem annexae comminationis complemento, vel (2) ex obligatione constanter perfectam conditionum foederis impletionem siue executionem stipulante; Sed (3) etiam ex Foedere Gratiae, quod secundum aeternum pacis consilium Jes. IX. 6. Zach. VI. 13. (in quo Pater stipulans Jes. LIII. 10. Filius adstipulans Ps. XL. 7. Pater itemque restipulans in dicto Jes. loco versibus seqr. & Ps. II. declarantur) ex naturali sua bonitate, ac sufficientiã erexit, erectumque crebrius confirmavit, ut & (4) ex multiplici, ac absolute necessario, conditionum Foederis antiqui, & antiquati repetitarum usu ac valore, mirifice admodum constat.

### 3.

Ubi notandum, quod licet absolute necessaria sit conditionum Foederis

deris

deris istius in hoc quoque repetitio, earumque perfecta impletio, perfecta-  
que pro peccatis satisfactio (illæsa à quippe iustitiâ ne in hoc quidem Foe-  
dere peccatum negligere potest Deus.) Nihilominus natura ejus  
mutatur in hanc vel illam, a nonnullis distingui solitam. Gratia enim  
est, eaque plene gratuita (1) voluntas Dei hostes in amicitiam re-  
cipiendi, nullâ extrinsecâ causâ eum ad eam impellente. (2) Gratuita  
mediorum ad hanc reconciliationem necessariorum, ex immensa sapi-  
entia, sapienti sufficientia, ac sufficienti bonitate administrandorum  
eura. (3) Gratuita mediorum illorum, sive, ut clarius dicam, iustitiæ a-  
lienæ, sed sufficientis acceptatio.

4.

Foedus primum, sive Operum, nullo Mediatore indiguisse. nec in-  
digere debuisse, ipsa ejus natura attendenti satis declarat, Verum Foe-  
dus Gratiæ, cum sit compositio, sive pactum duarum partium inter se  
disidentium, suo indiget Mediatore, indiget quoque Testamento, ut-  
pote ubi jam bona, jure non hæreditario sed testamentario accipi pos-  
sunt, indiget quoque testatoris morte, ac sanguine, tisque non simpli-  
cem ob causam, sed triplicem præcipue, & quidem (1) vi pacti æter-  
ni Patrem inter & Filium peracti, quod quidem in se spectatum Foe-  
deris Operum naturam habet, Jes. LIII. 10. ubi fideles velut bona  
ex pacto opere merita proponuntur. (2) Vi comminationis iustissi-  
mæ ac immutabilis transgressionibus adjectæ, Gen. II. 17. (3) Vi  
necessitatis Testamenti in firmandam voluntatem ultimam, Hebr. IX.  
16. 17. de danda semini ipsi dato Jes. LIII. hæreditate.

5.

Hoc Foedus ad omnes Israelitas secundum carnem ita dictos, quanto ma-  
gis ad universum genus humanum, pertinuisse, ex bonis Foederis &  
Testamenti, in infideles, quin etiam in bruta, ex hoc Foedere redundan-  
tibus, Gen. IX. 9. id evincere non potest, contra Rom. IX. 27. sicut nec  
ex usu terræ Canaan usus Canaan coelestis; non enim omnes, qui è  
lumbis Abrahamæ prodierunt, vocantur semen ejus Gen. XXII. 12. Rom.  
IX. 7. 8. cur autem id fiat, cum Deo disceptare non licet Rom. IX. 19.

6.

Signum, & medium simul hujus Foederis, sive reconci-  
liationis hominum cum Deo, evidentissimum & infallibile est Filii  
Dei (de cujus nomine Prov. XXX. 4. quaeritur, num quis norit?) per  
arcam Foederis, perque ejus contenta, præfigurata incarnatio, nec non

finis propositi exsecutio, desiderabat quippe, reconciliationis, salutis ac felicitatis nostrae ratio, ut Deus veniret in carne manifestatus 1. Tim. III. 16. sive sermo caro factus Ioan. I. 14. per omnia quantum ad naturam spectat cuique nostrum similis, ubi enim videmus, naturam nostram Deo unitam personaliter, infallibilem concipimus spem, de unione quoque nostra maximo in gradu tandem futurâ, in quâ personâ, duarum illarum naturarum unio, adeo est necessaria, ut quâcunque earum detractâ, bonitati sapientiae ac iustitiae Dei, ut & saluti nostrae detrahatur, omnisque via praeccludatur necesse est.

7.

Qui Filius, juxta divinam Joannis sententiam, eo, quod Deum nemo unquam viderit, nec videre potuerit Ioan. I. 18. Exod. XXXIII. 20. is inquam Paterni secreti conscius & particeps, solus nobis enarravit, & quidem quatenus in sua essentia ac natura intimè est, nempe Pater, Filius, & Sp. S., ut & quoad omnes circa hanc fidei articulos.

8.

Ad quam coelitus delatam sacram de S. S. Triadae doctrinam negandam locaque 1. Ioan. V. 7. Ioan. XIV. 16. X. 30. labefcanda locum Ioan. XVII. 21. 22. palmarium pro se jactant Soci-niani, cum tamen nihil minus, quam suo confodiantur telo, cum ex loco taliter argumentantur: qualiter fideles sunt unum, ita Pater Filius & Sp. S. Arqui fideles non sunt unum essentia, Ergo. Sed collata loca Eph. V. 23. 24. 1. Cor. 12. seq. falsa ipsorum minor, horumque unitas in corpore illorumque in infinita ipsa essentia evidenterissime constabit.

9.

Hominem fuisse creabilem & labilem, omni experientia, si modo cui non desit cerebrum, satis patebit, ut pote qui non habeat, essentiam & existentiam necessariam, quam, licet non habuerit, tamen creabilem fuisse, eventus docuit. Nisi enim fuisset creabilis, certe nec fuisset creatus. Labilem fuisse eadem experientia testis est, eo, quod creaturam esse, & esse immutabilem, contradictionem implicat, quod omnium creaturarum natura docet; licet enim perstitisset in statu integro, de gloria in gloriam nibilo-tamen nimis mutatus fuisset, Tum, quia nisi fuisset labilis certe nec fuisset lapsus.

10.

Lapsus ejus fuisse ἀπίστευ i. e. incredulitatem, vel clausis oculis, si mo-

si modo circumstantiae attendantur, sole meridiano erit clarius, peccavit enim illico nec ante, quam mandato Dei in dubium revocato, illud quae ambiguo iudicato, nec non a patris sui, Consilio Consummaco nec aequam quam mandato Dei in dubium revocato illoque ambiguo iudicato. Cuius, si quod, praeter illud de non comedendo fructu arboris veritatis, commiserit flagitium, minime posteris imputatum est, nimirum ut personae non amplius publicae sed privatae. Ubi porro observandum, id in ipso fuisse antecedens, quod in posteris ejus consequens est, peccatum nempe actuale, unde & propria & posterorum ipsius originalis corruptio derivata est.

## II

Bonitatem in Creatione hominis manifestatam, in se consideratam multis parasanguis superat ad illam beatitudinis aeternitatem reductio, quandoquidem gravius & intolerabilius est in sempiterna illa miseria jacere, quam nihil omnino esse.

## 12.

In statu illo aeternae beatitudinis sive gloriae dari gradus (verum sine invidia) non ut meritum verum ut mercedem operum, divinum ora utum testis est. Dan. XII. 3. Eph. IV. 12. 13. 1. Cor. XII. 18 27.

## 13.

Animam esse immortalem praeter S. Scripturae testimonia Zach. XII. 1. Matth. X. 28. Hebr. XII. 9. cet. ratio & experientia testes sunt, imo etiam naturam mortalium, immortalitas 1. Cor. XV. 53. ut & Angelorum bonorum simul ac malorum natura, probant.

## 14.

Idem finis impius est utriusque impiae de immortalitate animae sententiarum doctrinae, scilicet: & si dixeris cum Socino: omnes esse mortales, impiorum a divisione partium hominis; piorum autem post longa annorum centena milia. Et si dixeris contra cum nonnullis: Omnes aequae esse immortales, non solum sed etiam eadem felicitate olim fruituras, hae statim a morte corporum ex parte, post resurrectionem in totum, illas vero interjecto certo temporis intervallo. Quae certe improba nimis pertinaxque in omne flagitiorum genus se ingurgitandi, ut & Dei iustissimi vindictam contemnendi via ac libertas est. Evecti quippe negata haec tria, quae ab invicem divelli ac dissociari nec debent nec possunt, Puta: creationem Dei, providentiam, religionem omnem, quod sane dictu horrendum, Dei Majestate immensaque sapientia prorsus foret indignum.

15.

15.

*Nihil ad negandae animae immortalitatem aut corporum resurrectionem illis patrocinantur loca, Psmi LXXIIX. 39. Eccles. III. 19. seq. contra Joan. V. 28. 29. a. a. XXIV. 15. & Jobi XIV. 12. 14. quin potius ad negandas mortuorum apparitiones.*

16.

*Non satis sibi sunt attenti, quotquot locum tertium aut quartum, in gratiam animarum in corpora emortua revocatarum, statuunt. Quod certe nihil aliud est, quam campos Elysios, stygias undas, animasque iis innatantes, fabulari, ignes sive loca purgantia negare eademque simul affirmare.*

17.

*Cribrō divinant, & a sui cognitione peregre sunt profecti, qui rationem sive animam rationalem, qualemcunque brutis tribuunt, quod expresse Script. S. illis denegat Ps. XXXII. 11. quod certe absurdum magis ac impium est, quam videtur.*

18.

*Conscientiam nec fallere nec falli posse, praeter experientiam ac testimonium quotidianum, probat ipsa ejus denominatio; dicitur enim 1. Petr. II. 19. συνειδήσας ὅτι ἐστὶν scientia cum Deo, non ergo ei subesse potest error, nec tamen inde sequi infallibilitatem judicis aut Ecclesiae alicujus, non enim omne judicium fit ex, sed contra scientiam cum Deo, quam negare est umbram fugere suam, Deumque fallere conari.*

19.

*Licet locus Hof. XIII. 14. jam inde ab initio N. Testamenti impleri coeperit, nihilo tamen minus complementum suum plenum ac planum prius sortietur, quam resurrectione nostra peracta. 1 Cor. XV. 54. 55.*

❧ (o) ❧

1. Chemnitius de S. Coena
2. Fechtius de sacrificio Misae
3. Gaffius de S. Coena.
4. Werenndorf de S. Coena.
5. ~~Id.~~ de S. Coena.
6. ~~Id.~~ de S. Coena.
7. Werenfels de S. Coena.
8. Schmidius de Oblatis Eucharisticis.
9. Werner de Jure excludendi à S. Coena.
10. Lritius de Pelagianismo.
11. Holzfus de quatuor Novissimis.
12. Gerharde de Appellatione ad Supremum Iudicem.
13. Graun de Statu animae hum: post mortem.
14. Clausing de controversia Nestorianismi.
15. Götzi disquisitio num muribundus et.
16. Mosheim de Felicitate Coelstiae.
17. Sontag Neutralitas Religionum.
18. Scherzerus de peccato in Spir: S.
19. Lorius de Praedestinatione rerum hum:
20. Werenndorf de absoluto Decreto.
21. Löscher de Laroxismo abs: Decreto.
22. Dithmar de Concubinato à Xto prohibito.

Wernsdorff de Polygamia.

Hulsius de turpitudine incestae

Clacofeni animadversiones.

Zudens de poena damnatorum officienda.

Wolle de Interitu mundi.

Heltthemius de Justificatione.

Mieg de pariete intergerino.

Mosheim de tribus in terra testibz.

Heidenus de Mosi resuscitacoe.

Neubauer de Corpore Mosi.

Neubauer de Michaele Archangelo.

Neubauer de Michaele Archangelo.

Alfius de Evangelio.

monis de ratione

ollius de Theologia.

ampe de Inspiratione et

rimesijs de Canonibus Apostolorum.


ajus de unico S.P. principio.

Alfius de S.P.


gstu Disertacoe de fundamentis Revelacoeis

man de Divinitate Spiritus











the scale towards document

(67.)

Verum innocentiam Calvini ingenue  
 ruit ipse Bellarminus lib. 2. de Christo  
 nquiens: *sed quanquam hac ita se habeant,*  
*ipsam excutio, & Calvini sententias diligen-*  
*ter facile audeo pronunciare, illum in hoc er-*  
*videm docet, Filium esse à se, respectu Essen-*  
*Personæ, & videtur dicere velle, Personam*  
*matrem, Essentiam non esse genitam, nec produ-*  
*se ipsa, ita, ut, si à Persona Filii removeas*  
*matrem, sola restet Essentia, quæ est à se ipsa.*  
 productis Calvini verbis ex Instit. lib. 1.  
 5. probat, licet, quoad modum loquen-  
 tum errasse judicet. Ibid. c. 5. p. m. 326.  
 ni inquit; *Utinam semper sic erraret Calvi-*  
 Recognitione quidquam in contrarium  
 Bellarmini moderationem erga Calvini  
 probat Petavius Theol. Dogm. Tom. 2.  
 p. m. 618. Loquendi formulam simpli-  
 am, ut Sabellianæ hæresi affinem existi-  
 nius in Epist. ad Joh. Uytenbog. quæ ex-  
 æstant ac Erudit. Viror. Ep. 44. p. m. 58.  
 . Bullus Defens. Fid. Nicænæ sect. 4. §. 7.  
 40.

§. XVII.

trinitatis dogma probat Spiritûs S. Perso-  
 as. Spiritum S. esse personam divinam  
 trinitarii, qui Spiritum S. Dei *Virtutem,*  
*rationem, Auram, Agitationem & Qualitatem*  
 lumque, *quatenus in Deo manet ut Spiritus*  
*immanens, Virtutem Dei Naturalem;* quæ  
 oncipienda, sit; *quatenus vero à Deo fide-*  
 que à Deo in homines manat, *Virtutem*

I 2

medi-